& revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus. *Rom.* 2. 5.

Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. *Ibid.* 14. 10

Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum ſive malum. 1. *Cor.* 5. 10

Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita venient. 1. *Theſſ.* 5. 2

Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. *Apoc.* 1. 7

*Dies Domini.*

ULulate, quia prope eſt dies Domini: quaſi vaſtitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus diſſolventur, & omne cor hominis contabeſcet & conteretur. *Iſa.* 13. 6

Væ, quia magna dies illa, nec eſt ſimilis ejus: tempuſque tribulationis eſt Jacob, & ex ipſo ſalvabitur. *Jerem.* 30. 7

Canite tuba in Syon, ululate in monte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini, quia prope eſt. Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, &c. *Joel.* 2. 1. Sol converteretur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Ibid. 31

Væ, deſiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini iſta, tenebræ & non lux. *Amos* 5. 18

Juxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ &c. *Sophon.* 1. 14.

Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. *Malach.* 4. 1

Noli fatigari. Cum enim venerit dies preſſuræ, & anguſtiæ, alii plorabunt & triſtes erunt: tu autem hilaris & copioſa eris. 4. *Eſdr.* 2. 27

Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. *Philip.* 1. 6

Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti: quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. *Ibid.* 2. 16

Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. 1. *Theſſ.* 5. 2

In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus. 1. *Tim.* 4. 8

*Dies Domini, & hora nulli cognita.*

DE die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater. *Matth.* 24. 36. *Idem* Marc. 13. 32

Veniet Dominus ſervi illius in die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat. *Eod. c. v.* 50

Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cælo, in ea quæ ſub cælo ſunt fulget: ita erit filius hominis in die ſua. *Luc.* 17. 24. Matth. 24. 27

Dixit autem eis: Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *Act.* 1. 7

Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſolventur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. 2. *Petr.* 3. 10. 1. Theſſ. 5. 2

Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te. *Apoc.* 3. 3. Ibid. 16. 15

*Dies pro annis.*

JUxta numerum quadraginta dierum quibus conſideraſtis terram: annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis ultionem meam. *Num.* 14. 34

Et cum compleveris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundo: & aſſumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus: diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi. *Ezech.* 4. 6

## T I T U L U S XIX.

### *Dilectio.*

*Dilectio Dei erga ſuos.*

EGo ſum Dominus Deus tuus — faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. *Exod.* 20. 6. Deut. 5. 10

Sed quia dilexit vos Dominus, & cuſtodivit juramentum, quod juravit patribus veſtris: eduxitque vos in manu forti, & redemit de domo ſervitutis, de manu Pharaonis, &c. *Deut.* 7. 8

Dixitque Joſue ad populum: Non poteritis ſervire Domino: Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris atque peccatis. *Joſue* 24. 19.

Ego



Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, invenient me. *Prov.* 8. 17

Quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum. *Eccli.* 4. 18

Oculi Domini ſuper timentes eum. *Ibid.* 34. 19. Pſalm. 33. 16

Et in caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te, miſerans. *Jerem.* 31. 3

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 16

Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. *Joan.* 10. 11. Iſ. 40. 11

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. *Ibid.* 15. 9

Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego a Deo exivi. *Ibid.* 16. 27

Comendat autem caritatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. *Rom.* 5. 8

Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. *Ibid.* 8. 28.

Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. *Eph.* 5. 1

In hoc apparuit caritas Dei in nobis quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt caritas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, &c. 1. *Joan.* 4. 9 *Vide &* Joan. 13. 34

*Diligendus eſt Deus ſuper omnia. Vide & Caritas.*

DIliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. *Deut.* 6. 5. *Idem* Cap. 10. 12. cap. 11. 13. & 22. cap. 30. 6.

Ama itaque Dominum Deum tuum, & obſerva præcepta ejus, & cæremonias, judicia atque mandata omni tempore, &c. *Ibid.* 11. 1

Ut diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus viis ejus & obſervetis mandata illius, adhæreatiſque ei, ac ſervatis in omni corde, & in omni anima veſtra. *Joſue* 22. 5

Diligam te Domine, fortitudo mea. *Pſalm.* 17. 2

In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit: & miniſtros ejus ne derelinquas. *Eccli.* 7. 32

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. *Matth.* 10. 37 Luc. 14. 26

Ait illi Jeſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, &c. *Ibid.* 22. 37. Marc. 12. 30. Luc. 10. 27

*Magdalena* Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Luc.* 7. 47

*Petrus reſpondit Domino ſæpius roganti: Amas me?* Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te: *Joan.* 21. 15. *ad finem.*

Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. *Rom.* 8. 28

Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum. 1. *Cor.* 10. 20

Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, maran-atha. 1. *Cor.* 16. 22.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 1. *Joan.* 4. 19

*Diligendus inimicus.*

QUid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis, & expuliſtis a vobis? *ſic ait Iſaac ad inimicos ſuos; & tamen poſtea fecit eis convivium, & dimiſit eos pacifice in domum ſuam.* *Gen.* 26. 27

Nolite pavere, neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus, &c. *Sic Joſeph non ultus eſt malum a fratribus illatum, ſed oſtendit, ſe eos diligere. Ibid.* 45. 5. Oſculatuſque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos. Ib. v. 15.

Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. *Exod.* 23. 4. *Vide & Deu.* 22. 1

Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Lev.* 19. 18

*Cum David inveniſſet Saul inimicum ſuum ſolum in ſpelunca, eumque potuiſſet tuto occidere, immo ad hoc a ſervis ſuis fuiſſet animatus: ei tamen nil mali intulit, ſed reſpondit:* Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem: *& non permiſit ſervos ſuos conſurgere in Saul.* 1. *Reg.* 24. 4. *Vide & ſimile* cap. 26. *per totum.*

*Idem David ſervo inimici ſui Saul præbet cibum, & potum. Qui etiam, nuntiata morte Saulis, ſcidit veſtimenta ſua, & planxit. Ibid.* 30. 11. 2. Reg. 1. 11.

*David ſedulo inquiſivit: num ſuperſit aliquis de domo Saul, inimici ſui, ut faciat cum illo miſericordiam.* 2. *Reg.* 9. 1

*David parcit Semei, licet multis & magnis injuriis ab eo fuiſſet affectus.* 2. *Reg.* 16. *per totum. Vide &* cap. 19. 22

*David diligit filium Abſalon, licet rebellem, & hoſtem ſuum, mandatque militibus:* Servate mihi puerum Abſalon: *Quem etiam mortuum valde doluit & planxit. Ibid.* 18. Ibid. 5 v. 33.

Si gaviſus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quod inveniſſet eum malum.

lum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. *Job* 31. 29

Dixitque rex Iſrael ad Eliſeum, cum vidiſſet eos: Numquid percutiam eos pater mi? At ille ait: Non percuties: neque enim cepiſti eos gladio & arcu tuo, ut percutias: ſed pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & vadant ad Dominum ſuum. 4. *Reg.* 6. 21

Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere. *Prov.* 25. 21

Ne dicas: Reddam malum, expecta Dominum, & liberabit te. *Prov.* 20. 22. Ibid. 16. 7. 24. 17. Eceli. 28. v. 1. & 2. &c.

Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur. *Eccli.* 28. 2

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. *Matth.* 5. 44. *Idem* Luc. 6. 27

Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. *Ibid.* 6. 14

Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? *Ibid.* 18. 33. Matth. 5. 44. Luc. 6. 32.

Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem: ut & Pater veſter, qui eſt in cælis, dimittat vobis peccata veſtra. Quod ſi vos non dimiſeritis: nec Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittet vobis. *Marc.* 11. 25. Luc. 6. 32. & 35

Verumtamen, diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa. *Mac.* 6. 35

Pater, dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt: *Sic Chriſtus ignoſcit crucifixoribus. Luc.* 23. 34. *diligit Judam proditorem ſuum, eumque vocat amicum. Item* Matth. 26. 50.

*Sanctus Stephanus poſitis genibus orat pro lapidantibus ſe*, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. *Act.* 7. 59.

Nulli malum pro malo reddentes. *Rom.* 12. 17. Prov. 25. 21. 1. Theſſ. 5. 15. Prov. 17. 13. 1. Petr. 3. 9. *Vide & ſequentes titulos minores.*

Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus. *Rom.* 12. 19. Deut. 32. 35

*Diligendus proximus. Vide & Caritas fraterna.*

R*Eprehenſus eſt Cain a Domino graviter, & punitus, quia contra fratrem ſuum inique egit, & ſe non eſſe cuſtodem ejus dixit.* Gen. 4. 9

Diliges amicum (*proximum*) tuum ſicut te ipſum. *Levit.* 19. 18. Matth. 22. 39. Marc. 12. 31

Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis: ſed reduces fratri tuo. *Deut.* 22. 1. Exod. 23. 4

Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam. 1. *Reg.* 18. 1

*Tantam dilectionem vult Dominus erga proximum nos habere, ut dixerit Petro: Non eſſe dimittendum ſepties peccanti fratri*, Sed uſque ſeptuagies ſepties. *Matth.* 18. 22

Diliges ... & proximum tuum ſicut te ipſum. *Luc.* 10. 27. *Vide etiam ibidem in ſequentibus verſibus Dilectionem Samaritani erga proximum ſuum.*

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. *Joan.* 15. 13

Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. *Ibid.* 13. 34. *Vide &* c. 15. 17

Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit. *Rom.* 13. 8. *Vide &* Gal. 5. 14. 1. Tim. 1. 5. Jac. 2. 8

Ambulat in dilectione. *Epheſ.* 5. 2. 1. Joan. 3. 11. & 14. c. 4. 7

Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. *Philip.* 2. 4

Facti ſumus parvuli in medio veſtrorum, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos. 1. *Theſſ.* 2. 7

Caritas fraternitatis maneat in vobis. *Hebr.* 13. 1

Simplici ex corde invicem diligite attentius. 1. *Petr.* 1. 22

Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet. 1. *Joan.* 2. 10

Et nos debemus pro fratribus animas ponere, &c. *Ibid.* 3. 16

Cariſſimi, diligamus nos invicem: quia caritas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. *Ibid.* 4. 7

Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & caritas ejus in nobis perfecta eſt. *Ibid.* v. 12. *Vide &* v. 21

*Dilectio exigitur ad peccatorum remiſſionem.*

CUm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. *Prov.* 16. 7

Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit. *Eccl.* 28. 1

Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur. *Ibid.* v. 2.

Homo



Homo homini reſervat iram, & a domino quærit medelam. *Ibid.* v. 3

In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? *Ibid.* v. 4

Ipſe cum caro ſit, reſervat iram, & propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius. *Ibid.* v. 5

Memento noviſſimorum, & deſine inimicari. *Ibid.* v. 6

Si enim dimiſeritis hominibus peccata ſua: dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. *Matt.* 6. 14

Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. *Ibid.* 18. 35

*Ad regni cælorum adeptionem.*

EGo autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros ... ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? *Ibid.* 5. 44

Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt. *Luc.* 6. 32

Verumtamen diligite inimicos veſtros ... & eritis filii Altiſſimi. *Ibid.* v. 35

*Perficitur corde.*

SI gaviſus ſum ad ruinam ejus qui me oderat, & exultavi quod inveniſſet eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. *Job* 31. 29

Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Prov.* 17. 5.

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam. *Ibid.* 24. 17

Noli de mortuo inimico tuo gaudere; ſciens, quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire. *Eccli.* 8. 8

Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ. *Ibid.* 10. 6

*Et ore.*

ET pro tranſgreſſoribus rogavit. *Iſa.* 53. 12. Luc. 23. 34

Jeſus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. *Luc.* 23. 34

Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. *Matth.* 5. 44

Benedicite perſequentibus vos. *Rom.* 12. 14

Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, (*Stephanus*) dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. *Act.* 7. 59

*Et opere.*

SI eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim con- congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi. *Prov.* 25. 21. *Vide &* Rom. 12. 20

Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt &c. *Luc.* 6. 33

Neceſſitatibus ſanctorum communicantes. *Rom.* 12. 13

*Dilectio proximi eſt neceſſaria.*

OOmne animal ſimile ſibi: ſic & omnis homo proximum ſibi. *Eccli.* 13. 19

Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur. *Ibid.* v. 20.

Et mandavit illis unicuique de proximo ſuo. *Ibid.* 17. 12

De caritate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis. Ipſi enim vos a Deo didiciſtis, ut diligatis invicem. 1. *Theſſ.* 4. 9

Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. 1. *Joan.* 3. 14

Cariſſimi, diligamus nos invicem ... Qui non diligit, non novit Deum. *Ibid.* 4. 7

Cariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. *Ibid.* v. 11. *Vide per totum Caput.*

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mundatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. *Ibid.* v. 20

*Eſt fructuoſa.*

IN tribus placitum eſt ſpiritui meo; quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi cōſentientes (*in bonum*) *Eccli.* 25. 1

Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. *Matth.* 18. 19

In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ. *Ibid.* 22. 40

Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. *Rom.* 13. 8. *Vide &* 1. Joan. 4. 16. *& per totum.*

K 2 Pleni-

Plenitudo ergo legis eſt dilectio. *Rom.* v. 10

Omnis enim lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. *Gal.* 5. 14

*Ordinata, ut diligatur cum virtute.*

QUi amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus, *Matth.* 10. 37. Luc. 14. 26

Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. *Joan.* 13. 44

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. *Ibid.* 15. 17

Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. *Rom.* 15. 2

Et conſideremus invicem in provocationem caritatis, & bonorum operum. *Hebr.* 10. 24

Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt. 1. *Joan.* 2. 10

*Fructuoſe.*

DIlectio ſine ſimulatione. *Rom.* 12. 9

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. *Ibid.* v. 15

Nemo, quod ſuum eſt, quærat, ſed quod alterius. 1. *Cor.* 10. 24

Semper quod bonum eſt ſectamini in invicem, & in omnes. 1. *Theſſ.* 5. 15

Animas veſtras caſtificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite attentius. 1. *Petr.* 1. 22

*Cum affectu dulci ſupportando.*

QUod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. *Tob.* 4. 16. Matth. 7. 12. Luc. 6. 31

Numquid non pater unus omnium noſtrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum, violans pactum patrum noſtrorum? *Malach.* 2. 10

Dilectio proximi malum non operatur. *Rom.* 13. 10

Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmiorum ſuſtinere, & non nobis placere. *Ibid.* 15. 1

Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. *Galat.* 6. 2

Obſecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut digna ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate. *Epheſ.* 4. 1.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; ſed in humilitate, ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum. *Philip.* 2. 3. & 4

*Utiliter ſubveniendo.*

NOn te pigeat viſitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli.* 7. 39. *Vide &* v. 38

Qui petit a te, da ei: & volenti mutuari a te ne avertaris. *Matth.* 5. 42

Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex. *Ibid.* 7. 12. Luc. 6. 31

Et quis eſt meus proximus? *Luc.* 10. 29. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? v. 36. At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait Jeſus: Vade, & tu fac ſimiliter. v. 37.

In qua menſura menſi fueritis remetietur vobis. *Marc.* 4. 24

Sed per caritatem ſpiritus ſervite invicem. *Galat.* 5. 13

Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi: & ambulate in dilectione. *Epheſ.* 5. 1

Unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicuti boni diſpenſatores gratiæ Dei. 1. *Petr.* 4. 10

In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. *Joan.* 3. 15

## TITULUS XX.

### *Diſciplina.*

*Diſciplina ferenda humiliter.*

SI juſtus in terra recipit, quanto magis impius, & peccator? *Prov.* 11. 31

Egeſtas & ignominia ei, qui deſerit diſciplinam: qui autem adquieſcit arguenti, glorificabitur. *Ibid.* 13. 18. v. 8

Cum enim tentati ſunt, & quidem cum miſericordia diſciplinam accipientes, ſcierunt quemamdmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur. Hos quidem tamquam pater monens probaſti: illos autem tamquam durus rex interrogans, &c. *Sap.* 11. 10

Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. *Jerem.* 2. 30

Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. *Ibid.* 5. 3





Hæc eſt gens, quæ non audivit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam. *Gen.* 7. 28

Non audivit vocem, & non ſuſcepit diſciplinam. *Soph.* 3. 2

*Perſeveranter.*

DIſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cum ab eo corriperis: Quem enim diligit Dominus, corripit: & quaſi Pater in filio complacet ſibi. *Prov.* 3. 11. Apoc. c. 3. v. 19.

Tene diſciplinam, ne dimittas eam. Cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua. *Ibid.* 4. 13.

Sapientiam enim & diſciplinam qui abjicit, infelix eſt: & vacua ſpes illorum, & labores ſine fructu, inutilia opera eorum. *Sap.* 3. 11

Congregate vos in domum diſciplinæ. *Eccli.* 51. 31

Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. In diſciplina perſeverate. Tamquam filiis vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: ergo adulteri & non filii eſtis. *Hebr.* 12. 5.

*Diſciplina malitiam refrenat.*

ET diſciplina tua correxit me in finem. *Pſal.* 17. 37

Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in gentibus, cum diſperſero vos in terris: & recordabuntur mei liberati veſtri in gentibus, ad quas captivi ducti ſunt, quia contrivi cor eorum, &c. *Ezech.* 6. 8

Et nunc Domine omnipotens Deus Iſrael, anima in anguſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te. *Baruch* 3. 1

Etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere magni beneficii eſt indicium. 2. *Mach.* 6. 13

*Culpam purgat.*

VIa vitæ cuſtodienti diſciplinam, &c. *Prov.* 10. 17

Heu, ego conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis, & convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum. *Iſa.* 1. 24

Quia ſi abjecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. Non enim humiliavit ex corde ſuo, & abjecit filios hominum. *Thren.* 3. 32

Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. *Mich.* 7. 9

Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 1. *Cor.* 11. 32

*Gratiam conſervat.*

QUi diligit diſciplinam, diligit ſcientiam. *Prov.* 12. 1.

Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. *Eccli.* 11. 29

Ego quos amo, arguo & caſtigo. *Apoc.* 3. 19

*Diſcordia, Lites, & Rixæ. Vide & Contentio.*

*Sunt vitandæ.*

UNde & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Loth. *Gen.* 13. 7.

Ne, quæſo, ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos, &c. *Ibid.* v. 8. Vide & Gen. 26. 16.

*Occaſione Dinæ, filiæ Jacob, quam Sichem filius Emor rapuit, & oppreſſit, facta eſt diſcordia maxima inter filios Jacob, & habitatores terræ illius.* Gen. 34.

*Duæ mulieres meretrices litigabant coram rege Salomone occaſione unius infantis, quem utraque volebat habere.* 3. Reg. 3.

Proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias (*odit Dominus.*) *Prov.* 6. 19

Odium ſuſcitat rixas: & univerſa delicta operit caritas. *Ibid.* 10. 12

Vir iracundus provocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas. *Ibid.* 15. 18. 1. Cor. 13. 4. 1. Petr. 4. 8.

Homo perverſus ſuſcitat lites: & verboſus ſeparat principes. *Ibid.* 16. 28.

Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum. *Ibid.* 17. 11.

Labia ſtulti miſcent ſe rixis: & os ejus jurgia provocat. *Ibid.* 18. 6.

Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem: & qui provocat rixas, producit diſcordias. *Ibid.* 30. 33

Væ mihi mater mea: quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra? non feneravi, nec feneravit mihi quiſquam: omnes maledicunt mihi. *Jerem.* 15. 10.

Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe non ſtabit. *Matth.* 12. 25

Ipſe autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſum diviſum de-

ſolabitur, & domus ſupra domum cadet. *Luc.* 11. 17. Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus. Matth. 12. 25

Facta eſt autem contentio inter eos (*diſcipulos*), quis eorum videretur eſſe major. *Sed Dominum non permiſiſſe talem contentionem, patet per ea, quæ ſequuntur. Ibid.* 22. 24

Non eſt enim diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo. 1. *Cor.* 14. 33

Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones devita: ſciens quia generant lites. 2. *Tim.* 2. 23 1. Tim. 1. 4. Tit. 3. 9

Quod ſi invicem mordetis & comeditis: videte ne ab invicem conſumamini. *Gal.* 5. 15.

*Diſcretio. Vide Prudentia.*

*Diſcrimen inter peccatum mortale & veniale. Vide Peccatum.*

*Divini. Vide Incantatores.*

## TITULUS XXII.

*Divitiæ.*

*Divites hujus mundi quomodo ſe erga pauperes habere debeant.*

*Vide & Eleemoſyna.*

SI attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias uſuras ab eo, &c. *Levit.* 25. 35

Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem devenerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum tuam, &c. *Deut.* 15. 7. Sed dabis ei: nec ages quippiam callide in ejus neceſſitatibus ſublevandis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore & in cunctis ad quæ manum miſeris. Ibid. v. 10.

Quo modo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. *Tob.* 4. 8

Si negavi, quod volebant, pauperibus; --- Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit puſillus ex ea. *Job* 31. 16

Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. *Pſal.* 61. 11

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. *Prov.* 14. 31. Idem c. 17. 5

Feneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei. *Ibid.* 19. 17

Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. *Ibid.* 28. 27

Qui obdurat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit & non exaudietur. *Prov.* 21. 13

Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa invenies illum. *Eccli.* 11. 1

Rogationem contribulati ne abjicias: & non avertas faciem tuam ab egeno. *Ibid.* 4. 4

Et pauperi porrige manum tuam ut perficiatur propitiatio & benedictio tua. *Ibid.* 7. 36

Propter mandatum aſſume pauperem: & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. *Ibid.* 29. 12

Beatus dives qui inventus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia & theſauris. *Ibid.* 31. 8

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: ubi erugo & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt & furantur. *Matth.* 6. 19

Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis: & veni, ſequere me. *Ibid.* 19. 21. Idem Luc. 18. 22

Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte te & ipſi reinvitent, & fiat tibi retributio. Sede cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cecos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum. *Luc.* 34. 12

*Per parabolam de villico iniquitatis, hortatur ad faciendas eleemoſynas; docens, quid mereatur fidelis & infidelis mammonæ diſpenſator; quod nemo ſervire poteſt Deo & mammonæ, ita de divite Epulone & Lazaro mendico. Ibid.* 16.

Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat. *Actorum* 4. 34. Vide & Actor. 2. 45

Divitibus --- præcipe --- bene agere, --- facile tribuere, communicare &c. 1. *Tim.* 6. 17

*Divitiarum vanitas & contemptus, & in illis non eſt ſperandum.*

VErumtamen in imagine pertranſit homo --- Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea. *Pſal.* 38. 7. Vide & Pſal. 48. *per totum.*

Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum: ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum: & prævaluit in vanitate ſua. *Ibid.* 51. 9

Nil



Nil proderunt theſauri impietatis: juſtitia vero liberabit a morte. *Prov.* 10. 2

Non proderunt divitiæ in die ultionis: juſtitia autem liberabit a morte. *Ibid.* 11. 4. Alii dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. v. 24.

Qui confidit in divitiis ſuis, corruet. *Ibid.* 11. 28

Melius eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. *Ibid.* 15. 16

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit. *Ib.* 22. 16

Noli laborare ut diteris: ſed prudentiæ tuæ pone modum. *Ibid.* 23. 4

Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. Vanitatem & verba mendacia longe fac a me. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar ad te negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & perjurem nomen Dei mei. *Ibid.* 30. 7

Nec eſt ſatiatus venter ejus: & cum habuerit quæ concupierat, poſſidere non poterit &c. *Job* 20. 20

Avarus non implebitur pecunia: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis, & hoc ergo vanitas. *Eccleſ.* 5. 9. Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole: divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui. Ibid. v. 12.

Vir, cui dedit Deus divitias & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud; hoc vanitas & miſeria magna eſt. *Ibid.* 6. 2

Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in noviſſimo ſuo erit inſipiens. *Jerem.* 17. 11. Vide & v. 3.

Væ qui ædificat domum ſuam in injuſtitia, & cœnacula ſua in judicio: amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem ejus non reddet ei. *Ibid.* 22. 13

Argentum eorum foras projicietur --- & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam ſuam non ſaturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia ſcandalum iniquitatis eorum factum eſt. *Ezech.* 7. 16. Idem Soph. 1. 18

Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. *Sap.* 5. 1

Noli attendere ad poſſeſſiones iniquas & ne dixeris: Eſt mihi ſufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis. *Eccli.* 5. 1

Nihil eſt iniquius quam amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vita ſua projecit intima ſua. *Ibid.* 10. 10

Qui aurum diligit, non juſtificabitur: & qui inſequitur conſumptionem, replebitur ex ea, &c. *Ibid.* 31. 5

Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum (*Dei*) audit, & ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. *Matt.* 13. 22. Idem Luc. 8. 14

Videte & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his, quæ poſſidet. *Luc.* 12. 15

Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. 1. *Tim.* 6. 9

Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fenum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet. *Jacob.* 1. 11

*Contra divites impios. Vide & Avaritia.*

ERat autem vir quiſpiam (*Nabal*) in ſolitudine Maon, & poſſeſſio ejus in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oves tria millia, & mille capræ: & accidit, ut tonderetur grex ejus in Carmelo. 1. *Reg.* 25. 2. Reſpondens autem Nabal, pueris miſſis David: Quis eſt David? & quis eſt filius Iſai? hodie increverunt ſervi, qui fugiunt dominos ſuos. Tollam ergo panes meos & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio unde ſint? Ibid. v. 10. Tunc ait David pueris (*redeuntibus, & nuntiantibus omnia verba, quæ dixerat Nabal:*) Accingatur unuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis, accinctuſque eſt & David gladio ſuo: & ſecuti ſunt David quaſi quadringenti viri, *quibus in occurſum venit Abigail uxor Nabal cum panibus & vino, &c. cui ait David:* Ibid. v. 13. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit hodie te in occurſum meum, &c. Ibid. v. 32. Alioquin vivit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: niſi cito veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal uſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem, &c. Ibid. v. 34. Cumque pertranſiiſſent decem dies, percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt. Ibid. v. 38.

Quoniam confringens nudavit pauperes: domum rapuit --- Nec eſt ſatiatus venter ejus; & cum habuerit, quæ concupierat, poſſidere non poterit. Non remanſit de cibo ejus, & propterea nihil permanebit de bonis ejus. Cum ſatiatus fuerit, arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum. *Job* 20. 19. *Vide totum Caput.*

Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum: ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum: & prævaluit in vanitate ſua. *Pſal.* 51. 9.



Nihil

Nihil proderunt theſauri impietatis. *Prov.* 10. 2.

Alii dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. *Ibid.* 11. 24

Melius eſt parum cum juſtitia, quam multi fructus cum iniquitate. *Ibid.* 16. 8

Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. *Ibidem* 21. 13

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit. *Ib.* 22.16

*Oſtendit quomodo impii ex præſenti vita proſperitate in morte rapiantur a Deo ad ſupplicia. Job* 27.1

Qui coacervat divitias uſuris & fenore liberali, in pauperes congregat eas. *Prov.* 28. 8. Qui dat pauperi non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. Ib. v. 27. Vide v. 20.

Avarus non implebitur pecunia. *Eccleſ.* 5. 9

Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia, adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. *Sap.* 5. 1.

Noli attendere ad poſſeſſiones iniquas, & ne dixeris: Eſt mihi ſufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis. *Eccli.* 5. 1

Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, uſque ad terminum loci: numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? *Iſa.* 5. 8

Divitias tuas & theſauros tuos in direptionem dabo gratis, in omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis. *Jerem.* 15. 13

Væ, qui ædificat domum ſuam in injuſtitia, & cœnacula ſua non in judicio, &c. *Ib.* 22. 13 *uſque ad finem.*

Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit &c. *Ezech.* 7. 10. Idem habetur Soph. 1. 18

Væ, qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompatice ad domum Iſrael. *Amos* 6. 1

*Propheta ſub parabola uncini pomorum, prophetat finem regni Iſrael imminere, propter pauperum oppreſſiones: acerbitatem vero imminentis calamitatis explicat, ac feſtivitates eorum in luctum dicit convertendas, famemque verbi Dei futuram denuntiat. Ibid.* 8.

Verumtamen Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis: quia eſurietis, &c. *Luc.* 6. 24

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, &c. *Et dives* clamans dixit: Pater Abraham --- mitte Lazarum --- ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. *Ib.* 16.19

Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere. 1. *Tim.* 6. 17

Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt. Aurum & argentnm veſtrum eruginavit, & erugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus. *Jacob.* 5. 1

*Divitiarum uſus bonus in congregando.*

BEnedictio Domini divites facit, nec ſociabitur eis afflictio. *Prov.* 10. 22

Melius eſt parum cum juſtitia, quam multi fructus cum iniquitate. *Ibid.* 16. 8.

Noli laborare ut diteris: ſed prudentiæ tuæ pone modum. *Ibid.* 23. 4

Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient ſibi pennas, quaſi aquilæ, & volabunt in cælum. *Ibid. v.* 5.

Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia. *Eccli.* 13. 30

*In conſervando.*

DIvitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. *Pſal.* 61. 11

Juſtus comedit & replet animam ſuam: venter autem impiorum inſaturabilis. *Prov.* 13. 25

Corona ſapientium divitiæ eorum: fatuitas ſtultorum imprudentia. *Ibid.* 14. 24

Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laboravit ipſe ſub ſole. *Eccleſ.* 5. 17

Et omni homini, cui dedit Deus divitias atque ſubſtantiam, poteſtatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, ut fruatur parte ſua, lætetur de labore ſuo: hoc eſt donum Dei. *Ib. v.* 18.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatum paupertatis in die divitiarum. A mane uſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei. *Eccli.* 18. 25

Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris. *Ibid.* 31. 8

Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua. Dives autem in humilitate ſua. *Jac.* 1. 10

*In exponendo.*

HOnora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt. *Prov.* 3. 9

Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria; ne forte ſatia-



ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei. *Prov.* 30. 8

Nonne melius eſt comedere, & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? Et hoc de manu Dei eſt. *Eccle.* 2. 24

Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt. *Ibid.* 3. 13

Fili, ſi habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. *Eccli.* 14. 11

Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. *Luc.* 14. 13. Tob. 4. 7

Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis: quod verum eſt, quis credet vobis. *Ib.* 16. 11

*Congregans per fraudem.*

NOlite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera juſta, & æqua ſint pondera. *Levit.* 19. 35

Ne æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum eis; quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. *Prov.* 24. 1

Chanaan in manu ejus ſtatera doloſa, calumniam dilexit. *Oſea* 12. 7

Audite hoc, qui conteritis pauperem; & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando tranſibit menſis, & venundabimus merces; & ſabbatum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas: ut poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus? Juravit Dominus in ſuperbiam Jacob: Si oblitus fuero uſque in finem omnia opera eorum. Numquid ſuper iſto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus? *Amos* 8. 4

*Punietur in anima.*

NIhil proderunt theſauri impietatis. *Prov.* 10. 3. cap. 11. 14

Pondus & pondus, menſura & menſura: utrumque abominabile eſt apud Deum. *Ibid.* 20. 11. *Vide* c. 11. 1

Noli attendere ad poſſeſſiones iniquas, & ne dixeris: Eſt mihi ſufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis. *Eccli.* 5. 1

Multos enim perdidit aurum & argentum. *Ibid.* 8. 3

Nihil eſt iniquius quam amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet. *Ibidem* 10. 10

*In ſubſtantia.*

NOn inveniet fraudulentus lucrum. *Prov.* 12. 27

Hereditas ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit. *Ibid.* 20. 21

Qui coacervat divitias uſuris & fenore liberali, in pauperes congregat eas. *Ibid.* 28. 8

Qui decipit juſtos in via mala, in interitu ſuo corruet: & ſimplices poſſidebunt bona ejus. *Ibid.* v. 10

Iniquitates veſtræ declinaverunt hæc; & peccata veſtra prohibuerunt bonum a vobis. Quia inventi ſunt in populo meo impii inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. *Jere.* 5. 25

Adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis, & menſura minor iræ plena. Numquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera doloſa? In quibus divites ejus repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. *Mich.* 6. 10

Et ego ergo cœpi percutere te --- Tu comedes, & non ſaturaberis. *Ibid.* v. 13

Tu ſeminabis, & non metes. *Ibid.* v. 15

Væ ei, qui multiplicat non ſua! Uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum? Numquid non repente conſurgent, qui mordeant te: & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? *Habac.* 2. 6

*Congregans per rapinam.*

ABundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manus eorum. *Job.* 12. 6

Venatio leonis onager in eremo: ſic & paſcua divitum, ſunt pauperes. *Eccli.* 13. 23

Panis egentium vita pauperum eſt; qui defraudat illum, eſt vir ſanguinarius. *Ibid.* 34. 25

Qui aufert in ſudore panem, quaſi occidit proximum ſuum. *Ibid.* v. 26

*Punietur in anima.*

QUia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine, erit in combuſtionem, & cibus ignis. *Pſal.* 9. 5

Væ, qui ædificat domum ſuam in injuſtitia, & cœnacula ſua non in judicio: amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem ejus non reddet ei. *Jere.* 22. 13

Neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. 1. *Cor.* 6. 10

*In*

*In prole.*

HÆc eſt pars hominis impii apud Deum, & hereditas violentorum, quam ab Omnipotente ſuſcipient. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non ſaturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, ſepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt. *Job.* 27. 13

*In ſubſtantia.*

SI comportaverit quaſi terram argentum, & ſicut lutum præparaverit veſtimenta: præparabit quidem, ſed juſtus veſtietur illis, & argentum innocens dividet. *Job.* 27. 10

Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere. *Pſal.* 61. 11

Ne attingas parvulorum terminos; & agrum pupillorum ne introeas; Propinquis enim illorum fortis eſt, & ipſe judicabit contra te cauſſam. *Prov.* 23. 10

Pro eo, quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantiſſimas, & non bibetis vinum earum. *Amos* 5. 11

Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris: In luce matutina faciunt illud, quia contra Deum eſt manus eorum. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt domos: & calumniabantur virum, & domum ejus; virum, & hereditatem ejus. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum: unde non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peſſimum eſt. *Mich.* 2. 1

Deſuper tunica pallium ſuſtuliſtis: & eos qui tranſibant ſimpliciter, convertiſtis in bellum. Mulieres populi mei ejeciſtis de domo delitiarum ſuarum: a parvulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum. Surgite & ite, quia non habetis hic requiem. *Ibid.* v. 8

Et dixi: Audite principes Jacob; & duces domus Iſrael: Numquid non veſtrum eſt ſcire judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? *Ibid.* 3. 1

Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in adinventionibus ſuis. *Ibid.* v. 4

Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes *reliquiæ populorum*. *Habac.* 2. 8

*Affligetur in conſervando.*

ET cum habuerit, quæ concupierat, poſſidere non poterit. *Job.* 20. 20

Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet. *Job.* 27. 19

Ingruent in eum terrores, ut aqua, & nocte furtim opprimet illum tempeſtas. *Ibid.* 20

Ne timueris cum dives factus fuerit homo--- Quoniam cum interierit, non ſumet omnia. *Pſal.* 48. 17

Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum: ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum. *Ibid.* 5. 9

Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium. *Prov.* 11. 26

Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole: divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui. Pereunt enim in afflictione peſſima: generavit filium, qui in ſumma egeſtate erit. *Eccleſ.* 5. 12

Miſerabilis prorſus infirmitas; quo modo venit, ſic revertetur. Quid ergo prodeſt ei, quod laboravit in ventum? *Ibid.* v. 15

Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis. *Ibid.* v. 16

Eſt & aliud malum quod vidi ſub ſole, & quid frequens apud homines. Vir cui dedit Deus divitias, & ſubſtantiam & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo: ſed homo extraneus vorabit illud. *Ibid.* 6. 2

Eſt qui locupletatur parce agendo, & hæc eſt pars mercedis illius. In eo, quod dicit: Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus, & neſcit quod tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquet omnia aliis, & morietur. *Eccli.* 11. 18

Viro cupido & tenaci, ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini livido ad quid aurum? *Ib.* 14. 3

Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis ſuis. *Ibid.* v. 5

Qui ſibi invidet, nihil eſt illo nequius, & hæc redditio eſt malitiæ illius. *Ibid.* v. 6

Qui merces congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum. *Aggæi* 1. 6

Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam: deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives. *Luc.* 12. 16

Agite nunc divites, plorate, ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ ve-



ſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus. *Jac.* 5

*In expendendo.*

NE deſideres de cibis ejus, in quo eſt panis mendacii. *Prov.* 23. 30

Væ vobis divitibus: qui habetis (*hic*) conſolationem veſtram. *Luc.* 6. 24

Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua. *Ibid.* 16. 25

*Divitiarum utilitas, ſed tranſitoria.*

AMici vero divitum multi. *Prov.* 14. 20

Subſtantia divitis urbs roboris ejus: & quaſi murus validus circumdans eum. *Ibid.* 18. 11

Utilior eſt ſapientia cum divitiis--- Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. *Eccleſ.* 7. 12

Et pecuniæ obediunt omnia. *Ibid.* 10. 19

Dives commotus confirmatur ab amicis ſuis: humilis autem cum ceciderit, expelletur & a notis. Diviti decepto multi recuperatores: locutus eſt ſuperba, & juſtificaverunt illum. Humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur. Locutus eſt ſenſate, & non eſt datus ei locus. Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius uſque ad nubes perducent. Pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? & ſi offenderit, ſubvertent illum. *Eccli.* 13. 25

Laboravit dives in congregatione ſubſtantiæ, & in requie ſua, replebitur bonis ſuis. *Ibid.* 31. 3

Aurum & argentum eſt conſtitutio pedum. *Ibid.* 40. 25

Facultates, & virtutes exaltant cor, & ſuper hæc timor Domini. *Ibid.* v. 26

*Divitiæ quæ mala faciant.*

ET devoravit eos terra (*i. terrenus amor*). *Exod.* 15. 12

Uſquequo--- ſtulti, ea quæ ſibi ſunt noxia cupient? *Prov.* 1. 22

Qui confidit in divitiis ſuis, corruet. *Ibid.* 11. 28

Conſiderans reperi & aliam vanitatem ſub ſole. Unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? *Eccleſ.* 4. 7

Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat. Saturitas autem divitis non ſinit eum dormire. *Ibid.* 5. 11

Et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. *Ibid.* v. 9

Multos enim perdidit aurum & argentum, & uſque ad cor regum extendit & convertit. *Eccli.* 8. 3

Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur, donec conſumet areſaciens animam ſuam. Oculus malus ad mala: & non ſatiabitur pane, ſed indigens, & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam. *Ibid.* 14. 9

Et qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum. *Ibid.* 27. 1

Melior eſt pauper ſanus, & fortis viribus, quam dives imbecillis, & flagellatus malitia. *Ib.* 30. 14

Qui aurum diligit, non juſtificabitur. *Ibid.* 31. 5

Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum--- Væ illis, qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo. *Ibid.* v. 6. Ibid. 8. 3

O mors, quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! *Ibid.* 41. 1

De terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum (*propter amorem quem habes*). *Iſa.* 29. 4

Propter iniquitatem avaritiæ ejus, iratus ſum, & percuſſi eum: abſcondi a te faciem meam, & indignatus ſum. *Ibid.* 57. 17

Magnificati ſunt & ditati. Incraſſati ſunt & impinguati: & præterierunt ſermones meos peſſime. *Jere.* 5. 27

Divitias tuas, & theſauros tuos in direptionem dabo. *Ibid.* 15. 13

Locutus ſum ad te, in abundantia tua, & dixiſti: Non audiam. *Ibid.* 22. 21.

Ubi ſunt--- qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines?--- Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alii loco eorum ſurrexerunt. *Baruch.* 3. 16

Intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſvadari. *Ezech.* 47. 5

Et in copia rerum omnium occidet plurimos. *Dan.* 8. 25

Ipſi--- diligunt vinacia uvarum. *Oſeæ* 3. 1

Calumniam patiens eſt Ephraim fractus indicio: quoniam cœpit abire poſt ſordes. *Ibid.* 5. 11

Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & mamonnæ. *Matt.* 6. 24. Luc. 16. 13

Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. *Ibid.* v. 21

Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. *Ibid.* 13. 22

Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. *Ibid.* 19. 23

Dico, inimicos crucis Chriſti--- qui terrena ſapiunt. *Philip.* 3. 18. v. 19

Un-

Unde bella, & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris? *Jacob.* 4. 1

Cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii: derelinquentes rectam viam erraverunt. 2. *Petr.* 2. 14

Quia dicis, quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. *Apoc.* 3. 17

*Crimina nutriunt.*

MUltos enim perdidit aurum & argentum: & uſque ad cor Regum extendit, & convertit. *Eccli.* 8. 3

Si dives fueris, non eris immunis a delicto. *Ibid.* 11. 10

Domus, quæ nimis locuples eſt, annullabitur ſuperbia. *Ibid.* 21. 5

Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas. 1. *Tim.* 6. 9

## TITULUS XXIII.

### *Doctrina.*

*Doctrina Apoſtolorum ſcripta & non ſcripta, firmiter tenenda.*
*Vide & Traditiones.*

ROgo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis. *Rom.* 16. 17

Sed licet nos, aut Angelus de cælo, evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. *Galat.* 1. 8. Notum enim vobis facio fratres Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem, &c. Ibid. 11.

Itaque fratres ſtate: & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram. 2. *Theſſ.* 2. 14

Si quis eſurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cætera autem cum venero diſponam. 1. *Cor.* 11. 34

*Doctrina Apoſtolorum eſt Chriſti doctrina.*

QUi vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. *Luc.* 10. 16. 1. Cor. 14. 37

Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt, &c. 2. *Cor.* 2. 14. Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur. Ibid. v. 17.

Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut vere eſt) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui crediditis. 1. *Theſſ.* 2. 13

Notum enim vobis facio fratres Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem &c. *Gal.* 1. 11. *Vide &* Epheſ. 3. 3

*Doctrinæ utilitas quoad docentem.*

SEd & imperitos docete libere. 1. *Eſdr.* 7. 25

Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons ſapientiæ. *Prov.* 18. 4

Doctrina viri per patientiam noſcitur: & gloria ejus eſt iniqua prætergredi. *Ibid.* 19. 11

In auribus inſipientium ne loquaris: quia deſpicient doctrinam eloquii tui. *Ibid.* 23. 9

Verba ſapientium audiuntur in ſilentio, pluſquam clamor principis inter ſtultos. *Eccleſ.* 9. 17

Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a paſtore uno. *Ibid.* 12. 11

Beatus --- & qui enarrat juſtitiam auri audienti. *Eccli.* 25. 12

Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. *Ibid.* 37. 18

*Quoad audientem.*

DOcete me, & ego tacebo: & ſi quid forte ignoravi, inſtruite me. *Job.* 6. 24

Doſtrinam magis, quam aurum eligite. *Prov.* 8. 10

Doce juſtum, & feſtinabit accipere. *Ibid.* 9. 9

Cor ſapientis quærit doctrinam: & os ſtultorum paſcitur imperitia. *Ibid.* 15. 14

Non ceſſes fili audire doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ. *Ibid.* 19. 27

*Fili mi*, Inclina aurem tuam, & audi verba ſapientium: appone autem cor ad doctrinam meam, quæ pulcra erit tibi, cum ſervaveris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis: ut ſit in Domino fiducia tua. *Ibid.* 22. 17

Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter, in cogitationibus, & ſcientia: ut oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis, reſpondere ex his illis, qui miſerunt te. *Ibid.* v. 20

Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba ſcientiæ. *Ibid.* 23. 12





Auris bona audiet cum omni concupiſcentia ſapientiam. *Eccli.* 3. 31

Eſto manſuetus ad audiendum verbum (*Dei*) ut intelligas: & cum ſapientia proferas reſponſum verum. *Ibid.* 5. 13

Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam: & ſi dilexeris audire, ſapiens eris. *Eccli.* 6. 34

In multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere: ut omnem narrationem Dei poſſis audire: & proverbia laudis non effugiant a te. Et ſi videris ſenſatum, evigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. *Ibid.* v. 35. *Vide &c.* 8. 9

Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime aſſiduus eſto: & ipſe dabit cor, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi. *Ibid.* v. 37. Pſalm. 1. 2

Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt a patribus ſuis. Quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum. *Ibid.* 8. 11

Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. *Rom.* 15. 4

*Fructus docentis.*

LAbia juſti erudiunt plurimos: qui autem indocti ſunt, in cordis egeſtate morientur. *Prov.* 10. 21

Doctrina ſua noſcetur vir: qui autem vanus & excors eſt, patebit contemptui. *Ibid.* 12. 8

In lingua enim ſapientia dignoſcitur: & ſenſus & ſcientia & doctrina, in verbo ſenſati, & firmamentum in operibus juſtitiæ. *Eccl.* 4. 29

Vir peritus multos erudit, & animæ ſuæ ſuavis eſt. *Ibid.* 37. 22

*Fructus audientis.*

AUdiens ſapiens ſapientior erit: & intelligens gubernacula poſſidebit. *Prov.* 1. 5

In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet. *Ibid.* 14. 33

Fons vitæ, eruditio poſſidentis: doctrina ſtultorum fatuitas. Cor ſapientis erudiet os ejus: & labiis ejus addet gratiam. Favus mellis compoſita verba: dulcedo animæ, ſanitas oſſium. *Ibid.* 16. 22

Cor prudens poſſidebit ſcientiam: & auris ſapientium quærit doctrinam. *Ibid.* 18. 15

Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt, & favum dulciſſimum gutturi tuo. Sic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ, quam cum inveneris, habebis in noviſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit. *Ibid.* 24. 13

Stude ſapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, ut poſſis exprobranti reſpondere ſermonem. *Ibid.* 27. 11

Fili, a juventute tua excipe doctrinam, & uſque ad canos invenies ſapientiam. Quaſi is, qui arat, & ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius. *Eccli.* 6. 18

*Contemptus doctrinæ.*

SApientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt. *Prov.* 1. 7

Qui erudit deriſorem, ipſe injuriam ſibi facit: & qui arguit impium, ſibi maculam generat. *Ibid.* 9. 7

Quærit deriſor ſapientiam, & non invenit: doctrina prudentium facilis. *Ibid.* 14. 6

Qui evitat diſcere, incidet in mala. *Ibid.* 17. 16

Non recipit ſtultus verba prudentiæ: niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde ejus. *Ib.* 18. 2

Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo. *Ibid.* 25. 20

Quam aſpera eſt nimium ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors. *Eccl.* 6. 21

Sapientia enim doctrinæ ſecundum nomen eſt ejus, & non eſt multis manifeſta: quibus autem cognita eſt, permanet uſque ad conſpectum Dei. *Ibid.* v. 23

Non erudietur, qui non eſt ſapiens in bono. Eſt autem ſapientia quæ abundat in malo: & non eſt ſenſus ubi eſt amaritudo. *Ibid.* 21. 14

Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. Verbum ſapiens quodcumque audierit ſcius, laudabit, & ad ſe adjiciet: audivit luxurioſus & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum. *Ibid.* v. 17

Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam. Qui narrat verbum non audienti, quaſi qui excitat dormientem de gravi ſomno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat ſtulto ſapientiam. *Ibid.* 22. 7

Homo aſſuetus in verbis improperii, in omnibus diebus ſuis non erudietur. *Ibid.* 23. 22

Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. *Matth.* 7. 6

*Doctrinæ pravæ affectus quoad docentem.*

PRius vos oſtendens fabricatores mendacii, & cultores perverſorum dogmatum. *Job* 13. 4

Os fatuorum ebullit ſtultitiam. *Prov.* 15. 2

Labia ſapientium diſſeminabunt ſcientiam: cor ſtultorum diſſimile erit. *Ibid.* v. 7

Doctrina mala deſerenti viam vitæ: qui increpationes odit, morietur. *Ibid.* v. 10

Doctrina ſtultorum, fatuitas. *Ibid.* 16. 22

Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur ſuperbiam. *Ibid.* 21. 24

Narratio fatui quaſi ſarcina in via. *Eccli.* 21. 19

*Quoad audientem.*

VIr, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur. *Prov.* 21. 16.
Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? *Luc.* 6. 39

*Doctrina curioſa malum.*

QUi ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. *Prov.* 25. 27
Et agnovi, quod in his quoque eſſet labor, & afflictio ſpiritus: eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & laborem. *Eccleſ.* 1. 17
Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. *Eccli.* 3. 22

*Docentes. Vide Evangelizans.*

## TITULUS XXIV.

*Dolus.*

HAbitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt ſcire me, dicit Dominus. *Jerem.* 9. 6
Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolo cogitabant. *Pſal.* 34. 20
Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore ſua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri, &c. *Actor.* 5. 1

*Dolus Deum offendit.*

SImulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos. *Job.* 36. 13
Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus. *Pſal.* 5. 7
Diſperdet Dominus univerſa labia doloſa. *Ibid.* 11. 4
Abominatio Domini eſt omnis illuſor. *Prov.* 3. 32

*Proximum fallit.*

SEpulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant: venenum aſpidum ſub labiis eorum. *Pſal.* 5. 11. Ibid. 13. 3
Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum: & ipſi ſunt jacula. *Ibid.* 54. 22
Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum. *Ibid.* 139. 4. Rom. 3. 13
Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim ſunt inſidiæ doloſi. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & ſicut perdix inducitur in caveam, & ut caprea in laqueum: ſic & cor ſuperborum, & ſicut proſpector videns caſum proximi ſui. Bona enim in mala convertens inſidiatur, & in electis ponet maculam. A ſcintilla una augetur ignis, & ab uno doloſo augetur ſanguis: homo vero peccator ſanguini inſidiatur. *Eccli.* 11. 31
Attende tibi a peſtifero, fabricat enim mala: ne forte inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum. *Ibid.* v. 35
Admitte ad te alienigenam, & ſubvertet te in turbine, & abalienabit te a tuis propriis. *Ibid.* v. 36
Stultus enim fatua loquetur, & cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat. Fraudulenti vaſa peſſima ſunt. Ipſe enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in ſermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium. *Iſai.* 32. 6
Et a Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. *Jerem.* 6. 13

*Seipſum perdit.*

ECce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet. *Pſal.* 7. 15
Infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt: in laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. *Ibid.* 16. 9
Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. *Ibid.* 54. 25
Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam. *Prov.* 3. 34
Non inveniet fraudulentus lucrum. *Ibid.* 12. 27
Vir verſutus odioſus erit. *Ibid.* 14. 17
Qui decipit juſtos in via mala, in interitu ſuo corruet: & ſimplices poſſidebunt bona ejus. *Ibid.* 28. 10
Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet: & plaga doloſa doloſi dividet vulnera. Et qui foveam fodit, incidet in eam: & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo. *Eccl.* 27. 28
Sagitta vulnerans, lingua eorum, dolum locuta eſt: in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occulte ponit ei inſidias. Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut in gente hujuſmodi non ulciſcetur anima mea? *Jerem.* 9. 8
Maledictus doloſus. *Malach.* 1. 14





*Dominica Obſervatio. Vide Feſtorum obſervatio.*

## TITULUS XXV.

*Dominus.*

*Dominus imitandus & ſequendus.*

INſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte (*a Chriſto*) monſtratum eſt. *Exod.* 25. 40. Hebr. 8. 5. Actor. 7. 44
Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite. *Deut.* 13. 4
Filii eſtote Domini Dei veſtri. *Ibid.* 14. 1
Uſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. 3. *Reg.* 18. 21
Sequimini me, & oſtendam vobis virum, quem quæritis (*Chriſtum*) *Eliſeus* (*Deus meus Salvator*) *ſignificat.* 4. *Reg.* 6. 19
Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus, &c. *Job.* 23. 11
Et ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens. *Jere.* 17. 16
Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cantic.* 1. 3
Aſcendet enim pandens iter ante eos. *Mich.* 2. 13
Et tranſibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum. *Et infra* v. 13
Omnis, qui zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me. 1. *Mac.* 2. 27
At illi continuo relictis retibus, ſecuti ſunt eum. *Matt.* 4. 20
Magiſter, ſequar te, quocumque ieris. *Ibid.* 8. 19
Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos *Ibid.* v. 22
Et aſcendente eo (*Jeſu*) in naviculam (*cruci*,) ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. *Ibid.* v. 23
*Ait Levi:* Sequere me: & ſurgens ſecutus eſt eum. *Ibid.* 9. 9
Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. *Ibid.* 10. 38
Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Ibid.* 16. 24
Vade, vende quæ habes, & da pauperibus --- & veni, ſequere me. *Ibid.* 19. 21
Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. *Ibid.* v. 28
Tetigit oculos eorum: & confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum. *Ibid.* 20. 34
Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. *Joan.* 8. 12
Oves meæ vocem meam audiunt --- & ſequuntur me. *Ibid.* 10. 27
Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. *Ibid.* 12. 26
Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi. *Epheſ.* 5. 1
Sequor autem, ſi quo modo comprehendam. *Philip.* 3. 12
Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 1. *Petr.* 2. 21
Qui dicit ſe in ipſo (*Chriſto*) manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. 1. *Joan.* 2. 6.
Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocumque ierit. *Apoc.* 14. 4

*Dominus quærendus.*

CUmque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29
Præbete igitur corda veſtra & animas veſtras, ut quæratis Dominum, &c. 1. *Paral.* 22. 19
Si quæſieritis eum (*Deum*) invenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 2. *Paral.* 15. 2
Si quis autem, inquit, non quæſierit Dominum Deum Iſrael, moriatur, a minimo uſque ad maximum, a viro uſque ad mulierem. 2. *Paral.* 15. 13
Manus Dei noſtri eſt ſuper omnes, qui quærunt eum in bonitate. 1. *Eſdr.* 8. 22
Quærite Deum, & vivet anima veſtra. *Pſal.* 68. 33
Cum occideret eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum. *Ib.* 77. 34
Lætetur cor quærentium Dominum. *Ibid.* 104. 3
Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus ſemper. *Ibid.* v. 4
Surgam & circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæſivi illum, & non inveni. *Cant.* 3. 2
In ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. *Sap.* 1. 1
Invenitur ab his, qui quærunt illam (*Dei ſapientiam*): præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. *Ibid.* 6. 13

Venit mane & nox, ſi quæritis, quærite. *Iſai.* 21. 12

Quærite Dominum, dum inveniri poteſt. *Ibid.* 55. 6

Quæſierunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæſierunt me. *Ibid.* 65. 1

Quæretis me, & invenietis: cum quæſieritis me in toto corde veſtro. Et inveniar a vobis, ait Dominus. *Jer.* 29. 13

Sicut enim fuit ſenſus veſter ut erraretis a Deo; decies tantum iterum convertentes requiretis eum. *Baruc.* 4. 28

Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos juſtitiam. *Oſea* 10. 12

Quærite me, & vivetis. Et nolite quærere Bethel. *Amos* 5. 4

Quærite Dominum, & vivite: ne forte comburatur ut ignis domus Joſeph, & devorabit, & non erit qui extinguat Bethel. *Ibid.* v. 6

Quærite bonum, & non malum, ut vivatis; & erit Dominus Deus exercituum vobiſcum, ſicut dixiſtis. *Ibid.* v. 14

Quærite Dominum omnes manſueti terræ, qui judicium ejus eſtis operati: quærite juſtum, quærite manſuetum: ſi quomodo abſcondamini in die furoris Domini. *Soph.* 2. 3

Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum: vadam etiam ego. *Zach.* 8. 21

Quærite primum regnum Dei. *Matth.* 6. 33

Quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. *Ibid.* 7. 7

Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. (*Sic multi*). *Joan.* 6. 26

Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire. *Ibid.* 7. 34

Ecce vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. *Ibid.* 8. 21

Quæ ſurſum ſunt, ſapite. *Coloſſ.* 3. 2

*Domini & Dominæ officium & poteſtas erga ſervos & ancillas totamque familiam: ut & ſervorum & ancillarum erga Dominos & Dominas.*

*AGar ancilla Saræ, poſtquam deſpexit dominam ſuam, fugit ab illa; ſed ab Angelo juſſa eſt redire, & ſe humiliare ſub manu dominæ ſuæ. Gen.* 16

*Eadem vero, cum periculum eſſet, ne propter illam Iſaac filius perverteretur, e domo ejicitur. Ibid.* 21

Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis. *Exod.* 21. 2. *Ibid. Deut.* 15. 12. Qui percuſſerit ſervum ſuum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Exod. v. 20. Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui, aut ancillæ, & luſcos eos fecit, dimittet eos liberos, pro oculo quem eruit. Ib. 26. Jerem 34. v. 9. & 14

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane. *Levit.* 19. 13

Septimus dies ſabbati eſt, id eſt, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, ſervus, & ancilla, & bos & aſinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus, qui eſt intra portas tuas: ut requieſcat ſervus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu. *Deut.* 5. 14. *Idem* Deut. 24. 15

*Quam juſtus fuerit Job erga ſervos ſuos, indicat his verbis:* Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me. *Job* 31. 13

*Servi Regis Saul, a domino ſuo juſſi, ut interficerent Sacerdotes.* Noluerunt --- extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini. *Noluerunt nempe iniquum Domini ſui mandatum exequi.* 1. Reg. 22. 17

*Giezi ſervus Eliſei Prophetæ contra voluntatem domini ſui munera petens a Naaman Syro, & mentitus domino ſuo, lepra percutitur.* 4. *Reg.* 5. 20

Servus verbis non poteſt erudiri: quia quod dicis intelligit, & reſpondere contemnit. *Prov.* 29. 19

Non lædas ſervum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam. *Eccli.* 7. 22

Jugum & lorum curvant collum durum, & ſervum inclinant operationes aſſiduæ. Servo malevolo tortura & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas. In opera conſtitue eum: ſic enim condecet illum, &c. Verum ſine judicio nihil facias grave. Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta, quoniam in ſanguine animæ comparaſti illum --- Si læſeris eum injuſte, in fugam convertetur, &c. *Ibid.* 33. 27

*In Parabola talentorum proponitur tam fidelitas, tam pigritia ſervorum, tam liberalitas Domini, remunerantis fideles ſervos, & juſtitia punientis ſervum pigrum. Matt.* 25. 14

*Centurio ſollicitus eſt, ut ægrotanti ſervo ſanitatem reſtituat. Luc.* 7. 2

*Cornelius Centurio, quia ipſe* erat religioſus ac timens Deum, *talem dicitur habuiſſe totam familiam. Actor.* 10. 2

Et vos Domini eadem facite illis, (*ſcil. ſervis*) remittentes minas, ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cælis: & perſonarum acceptio non eſt apud eum. *Epheſ.* 6. 9

Domini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtate: ſcientes quod & vos Dominum habetis in cælo. *Coloſſ.* 4. 1

*Chriſtus Dominus, formam ſervi accipiens, omnibus ſervis poteſt eſſe ſolatio & exemplo. Phil.* 2. 7





## TITULUS XXVI.

*Domus.*

*Domus æternalis.*

IN domo patris mei manſiones multæ ſunt. *Joan.* 14. 2

Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. 2. *Cor.* 5. 1

*Domus ſpiritualis virtuoſe ædificatur.*

AD quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, & honorificatum: & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo, per Jeſum Chriſtum. 1. *Petr.* 2. 4. Hæc tibi ſcribo, &c. 1. Tim. 3. Ibid. v. 14.

*Gratioſe inhabitatur.*

ET Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus, tamquam famulus, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: Chriſtus vero, tamquam filius in domo ſua: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem firmam retineamus. *Hebr.* 3. 5

*Domus corporis noſtri.*

SCimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. 2. *Cor.* 5. 1

Juſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commotione: certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi. 2. *Petr.* 1. 13

*Bene conſtruitur.*

NIſi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. *Pſal.* 126. 1

Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum: ut poſtea ædifices domum tuam. *Prov.* 24. 27

Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme. *Eccli.* 21. 9

Væ, qui ædificat domum ſuam in injuſtitia, & cœnacula ſua non in judicio: amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem ejus non reddet ei. Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam. *Jerem.* 22. 13

*Male deſtruitur.*

QUi conturbat domum ſuam, poſſidebit ventos: & qui ſtultus eſt, ſerviet ſapienti. *Prov.* 11. 29

Domus impiorum delebitur: tabernacula vero juſtorum germinabunt. *Ibid.* 14. 11

Domum ſuperborum demolietur Dominus. *Ibid.* 15. 25

Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam. *Ibid.* v. 27

Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. *Ibid.* 17. 1

In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus. *Eccl.* 10. 18

Objurgatio & injuriæ annullabunt ſubſtantiam: & domus quæ nimis locuples eſt, annullabitur ſuperbia: ſic ſubſtantia ſuperbi eradicabitur. *Eccli.* 21. 5

*Debite gubernatur.*

NOvit juſtus jumentorum ſuorum animas. *Prov.* 12. 10

Domus juſti plurima fortitudo: & in fructibus impii conturbatio. *Ibid.* 15. 6

Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubjectos tibi. *Eccl.* 4. 35

Et a filiis tuis cave, & a domeſticis tuis attende. *Ibid.* 32. 26

Filio & mulieri, fratri & amico, non des poteſtatem ſuper te in vita tua: & non dederis alii poſſeſſionem tuam: ne forte pœniteat te, & depreceris pro illis. *Ibid.* 33. 20

Dum adhuc ſuperes & aſpiras, non immutabit te omnis caro. Melius eſt enim, ut filii tui te rogent, quam te reſpicere in manus filiorum tuorum. *Ibid.* v. 22

*Plene firmatur.*

SIcut avis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum. *Prov.* 27. 8

Initium vitæ hominis, aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem. *Eccli.* 29. 28

Melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum, quam epulæ ſplendidæ in peregre ſine domicilio. Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. Vita nequam hoſpitandi de domo in domum: & ubi hoſpitabitur non fiducialiter aget, nec aperiet os (*ſuum*). Hoſpitabitur & paſcet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet. Tranſi hoſpes, & orna menſam: & quæ in manu habes, ciba ceteros. Exi a facie honoris amicorum meorum: neceſſitudine domus meæ hoſpitio mihi factus eſt frater: Gravia hæc homini habenti ſenſum: Correptio domus, & improperium feneratoris. *Ibid.* v. 29

*Domus ædificata ſuper petram firma manebit.*

OMnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. *Matth.* 7. 24. Luc. 6. 48. *Idem.*

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Ibid.* 16. 18

Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. *Rom.* 8. 35. Pſal. 43. 22

## TITULUS XXVII.

### *Dona.*

*Donaria accipere an prohibitum. Vide etiam Acceptatio Munerum.*

NOn accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum. *Exod.* 23. 8. Deut. 16. 19

Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar. *Num.* 22. 18. 2. Par. 19. 7

Quia Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus Deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus & potens & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. *Deut.* 10. 17

Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis, & dicet omnis populus: Amen. *Ibid.* 27. 26

Et non ambulaverunt filii ejus in viis ejus: ſed declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3.

*Samuel ait*: Ecce præſto ſum. Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis. *Ibid.* 12. 3

Locutus eſt autem Rex (*Jeroboam*) ad virum Dei: Veni mecum domum, ut prandeas, & dabo tibi munera. Reſponditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto. 3. *Reg.* 13. 7. *Vide & 4.* Reg. 5. 16

Congregatio enim hypocritæ ſterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job* 15. 34

Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit: qui facit hæc, non movebitur in æternum. *Pſal.* 14. 5

In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus. *Ibid.* 25. 10

Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas judicii. *Prov.* 17. 23

Qui autem odit munera, vivet. *Prov.* 15. 27

Principes tui infideles, ſocii furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. *Iſa.* 1. 23

Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo. *Ibid.* 5. 22

Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere, qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malum: iſte in excelſis habitabit. *Ibid.* 33. 15. Cap. 45. 13

Munera acceperunt (*Hieroſolymitæ*) apud te ad effundendum ſanguinem: uſuram, & ſuperabundantiam accepiſti, & avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus. *Ezech. Vide* 22. 12. *&* v. 27

Principes ejus (*Jeruſalem*) in muneribus judicabant, & ſacerdotes ejus in mercede docebant, & prophetæ ejus in pecunia divinabant: & ſuper Dominum requieſcebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio noſtrum. *Mich.* 3. 11. Soph. 3. 3

Multos enim perdidit aurum & argentum, & uſque ad cor regum extendit & convertit. *Eccli.* 8. 3. Cap. 31. 6

Xenia & dona excæcant oculos judicum, & quaſi mutus, in ore avertit correptiones eorum. *Ibid.* 20. 31. Deut. 16. 19

*Dona divina liberaliter a Deo dantur.*

QUis ante dedit mihi, ut reddam ei? *Job* 41. 2

Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas a Deo ſunt. *Eccli.* 11. 14

Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula. Amen. *Rom.* 11. 36

Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis. 2. *Cor.* 4. 7. 1. Cor. 12. 11.

Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter





pter quod dicit: Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. *Epheſ.* 4. 7

Nolite itaque errare fratres mei dilectiſſimi. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. *Jac.* 1. 16

*Multipliciter ordinantur.*

SIcut enim homo peregre proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem. *Matth.* 25. 14. Luc. 19. 12

Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic. 1. *Cor.* 7. 7

Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. *Ibid.* 12. 7

Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, &c. *Epheſ.* 4. 11

Unuſquiſque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. 1. *Petr.* 4. 10. Rom. 12. 6

*Utiliter operantur.*

INtellectus bonus omnibus facientibus eum. *Pſal.* 110. 10

Datio Dei permanet juſtis, & profectus illius ſucceſſus habebit in æternum. *Eccli.* 11. 17

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. *Matt.* 25. 16. Ait illi Dominus ejus: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Ibid. v. 21. Luc. 19. 12

Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, multum plus petent ab eo. *Luc.* 12. 48

# E

## TITULUS I.

### *Ebrietas.*

*Ebrietas. Vide etiam Gula & Jejunium.*

BIbenſque vinum (*Noe*) inebriatus eſt, & nudatus jacuit in tabernaculo ſuo. *Gen.* 9. 21

Veni (*ait filia Loth*) inebriemus eum vino, dormiamuſque cum eo, ut ſervare poſſimus ex patre noſtro ſemen, *Ibid.* 19. v. 32. & 35.

Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. *Levit.* 10. 9

Manſit Urias in Jeruſalem in die illa & altera: & vocavit eum David, ut comederet coram ſe, & biberet, & inebriavit eum. 2. *Reg.* 21. 12. 1. Reg. 25. 36

Præceperat autem Abſalom pueris ſuis, dicens: Obſervate, cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis; Percutite eum, & interficite: nolite timere: ego enim ſum qui præcipio vobis: roboramini, & eſtote viri fortes. *Ibid.* 13. 28

Luxurioſa res, vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens. *Prov.* 20. 1. 3. Reg. 20. 16

Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes ſymbola, conſumentur. *Ibid.* 23. 20

Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? *Ibid.* v. 29

Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet. *Ibid.* v. 31

*In ebrietate* Oculi tui videbunt extraneas; & cor tuum loquetur perverſa. Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clavo: & dices: Verberaverunt me, ſed non dolui: traxerunt me & ego non ſenſi: quando evigilabo, & rurſus vina reperiam. *Ibid.* v. 33

Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. *Ib.* 21. 17. Sap. 2. 7

Noli regibus o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas. *Ibid.* 31. 4

Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos. *Eccli.* 19. 2

Vinum in jucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem ab initio. *Ib.* 31. 35. Pſ. 103. 15

Propter crapulam multi obierunt; qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam. *Ibid.* 37. 34

Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. *Iſa.* 5. 11. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Ibid. v. 22.

Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius. *Ibid.* 56. 12. & c. 22. 13. 1. Cor. 15. 32

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ: ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant. *Ezech.* 16. 49. Gen. 19. 24